MISSALE ROMANUM

Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh. Seite 246r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

Quid manducabimus? Aut quo operiemur? Hec enim omnia gentes
inquirunt. Scit enim pater vester celestis. quia his omnibus indige
tis. Querite ergo primum regnum dei et iusticiam eius. et hec omnia
adicientur vobis. Dominica xvi ad effesyos.
Fratres. Obsecro vos ne deficiatis in tribulacionibus meis
pro vobis. que est gloria vestra. Huius rei gracia flecto genua mea ad
patrem domini nostri ihesu christi. ex quo omnis paternitas in celis. et in
terra nominatur. ut det vobis secundum divicias glorie sue virtute corrobo
rari. per spiritum eius in interiori homine habitare christum per fidem in
cordibus vestris. in caritate radicati. et fundati. ut possitis com
prehendere. cum omnibus sanctis. que sit latitudo. longitudo. sub
limitas et profundum. scire etiam supereminentem scienciam kari
tatis christi. ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem
qui potens est omnia facere superhabundanter quam petimus. aut in
telligimus. secundum virtutem que operatur in nobis. ipsi gloria. in ecclesia
et in christo ihesu in omnes generaciones seculi seculorum. Amen. Secundum
Illo tempore. Ibat ihesus in civitatem que vocatur naym. lucam.
Et ibant discipuli eius cum illo. et turba copiosa. Cum autem ap
propinquaret porte civitatis et ecce defunctus efferebatur filius
unicus matris sue. Et hec vidua erat. et turba civitatis mul
ta cum illa. Quam cum vidisset dominus misericordia motus super eam dixit il
li. Noli flere. Et accessit. et tetigit loculum. Hi autem qui porta
bant steterunt. Et ait. adolescens tibi dico surge. Et resedit
qui erat mortuus. et cepit loqui. Et dedit illum matri sue.
Accepit autem omnes timor. et magnificabant deum dicentes. Quia
propheta magnus surrexit in nobis. et quia deus visitavit plebem suam
Fratres. Obsecro vos ego vinctus in Dominica. xvii. ad ephesyos
domino. ut digne ambuletis vocacione qua vocati estis cum